

Pauca quaedam addam de fragmentis. Fragmentum historicum 46. de Philopoemene desumtum est ex eo Polybii loco, quem Livius 35. 28 in opus suum transtulit. Pertinet igitur ad librum vigesimum. Fragmentum grammaticum 53. Livius referre videtur 41. 2, qui liber convenit fere cum Polybianeo vigesimo sexto. Eodem pertinet Ennii versus e duodecimo Annalium, vs. 367. 369. Vahl. Fidem superat fragmentum grammaticum 72, quod e conjectura ad Polybium relatum est, totidem verbis legi in Xenophontis Anabasi 2. 4. 26. Ne BECKERUS quidem fraudem agnovit.

Sed tandem his adnotationibus finem imponemus Polybii verbis 27. 18. 2 in nostrum usum conversis: Δοκοῦσι πολλοὶ μὲν τῶν ἀνθρώπων ἐπιθυμεῖν τῶν καλῶν, δλίγοι δὲ τολμᾶν ἐγχειρεῖν αὐτοῖς, σπάνιοι δὲ τῶν ἐγχειρηματων ἐπὶ τέλος ἄγειν, τὰ πρὸς τὸ καθῆκον ἐν ἐκάστοις ποιεῖν. Quod ut vere et apte dictum sit supplebimus sic: Οὐδεὶς δὲ τὰ πρὸς τὸ καθῆκον ἐν ἐκάστοις ποιεῖν.

Harlemi, 27 m. Nov. 1856.

S. A. NABER.

ΑΙΔΟΤΣΑ — ΔΙΔΟΤΣΑ.

Notum est confundi saepius ΑΙΔΩ (ἄδω) et ΔΙΔΩ; ἄδουσι; et προσἄδουσιν abeunt in διδοῦσι et προσδιδοῦσιν, ἄδόμενος in διδόμενος, vid. Valckenaer. ad Herod. VIII. 26. et ad Phoenissas vs. 1388, qui docuit apud Maximum Tyrium XXIV. p. 299. in Anacreontis versu:

Χαρίεντα μὲν γὰρ διδῶ, χαρίεντα δ' οἴδα λέξαι,
emendandum esse: χαρίεντα μὲν γὰρ ἄδω, et apud Dionem
Chrysost. Orat. XXXII. p. 658. Reisk. οἱ δὲ ποιήματα συνθέντες
διδοῦσι corrigendum ἄδουσι. Sic et apud Pausaniam in La-
conicis III. 26. pag. 278. ἄρχονται μὲν ἀπὸ Τιλέφου τῶν ὅμι-
νων, προσδιδοῦσι δὲ οὐδὲν ἐς τὸν Εὐρύπυλον, veram lectio-
nem esse προσἄδουσι. Deprehendi idem vitium apud Nicostra-
tum in Stob. Floril. LXX. 12. χρησόν γε μὴν καὶ ἀράξαι ποτὲ
μύλην (*bonam matrem familias*) — διδοῦσαν ὥσπερ ἐπὶ λύρας.
Quis non videt ἄδουσαν verum esse?

C. G. C.